



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Sed quid si Filius Professionem jam emisit, an tenetur egredi, ut
parentibus succurrat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

stentationem vel educationem suo statui convenientem: cum parentes jure naturali teneantur ea liberis providere; nec liceat Deum tentare, ordinaria media omitendo sub spe divini auxilii. S. Thom. loco cit. nisi sufficienter illis provideant de rebus necessariis ad vitam & statum, & illos per alios rectè instituere possint.

Not. Nemo tenetur in sæculo remanere propter Fratrum vel Sororum aut aliorum propinquorum necessitatem gravem, sed non extremam: quia nemo tantum iis debet, nec ita strictè tenetur iis subvenire, sicut parentibus: nisi tamen Fratres vel Sorores sint adhuc sub cura Patris aut Matris, nam tunc creant vel augent necessitatem ejus: quippe sub necessitate parentis includuntur omnia quæ pertinent ad statum & munus suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens liberorum educatio ac cura. Atque ita ratione parentis sic obligari quis potest erga Fratres suos; qui tunc considerantur ut pars ejusdem parentis. *Ita Suarez.*

Sed quod si Filius Professionem jam emisit, an tenetur egredi, ut parentibus succurrat?

Resp. Juxta multos tenetur, si parentum necessitas sit extrema; cui aliter subvenire nequeat, sive illa ante sive post Professionem evenierit: quia in utroque casu aequaliter urget præceptum pietatis, nec minus sunt illius paren-

parentes in uno quàm in altero. Ut autem talis egressus sit licitus, requirunt. 1. Ut Religiosus petat licentiam, nam hoc exigit debitum subjectionis & recta disciplina; & alioquin oriretur perturbatio communitatis ac scandalum. Sed Prælatus tenetur hanc licentiam concedere: quòd si petitam deneget, dicunt posse Religiosum egredi, eo quòd Prælatus sit irrationabiliter invitus, & aliunde præceptum divinum naturale subveniendi parentibus urgeat. 2. Ut egressus gesserit suæ Religionis habitum. 3. Ut quandiu manet in sæculo, servet quoad fieri potest Regulas & Statuta Religionis: nam non desinit esse Religiosus. 4. Ut redeat ubi primùm eorum necessitati sufficienter providit: nam cessat causa manendi extra Monasterium. At si necessitas parentum sit solum gravis, non extrema, non tenetur, nec proinde ei licet egredi sine legitima Superioris sui licentia: quia Religiosus est per professionem traditus Religionis & potestati sui Prælati. Res autem uni tradita non potest sine ejus consensu alteri concedi, etiam quoad usum, citra necessitatem extremam. Ita *S. Thom. S. Antonia. & alii multi.*

Q. 3. Ad quid Superiores & Inferiores generatim obligantur erga se invicem?

Resp. I. Superiores tum Ecclesiastici tum Sæculares tenentur procurare bonum subditorum